

Physiol.
58

Physiol. B. 9.

914

DISCURSUS PHYSIOLOGICO- ANATOMICUS

Omnibus omnium facultatum studiosis
utilis maximèque necessarius

In quo consideratur

ὡς ἐν τύπῳ

μικροκόσμος miseria & perfectionis excellentia.

AUTORE

**HEINRICO SIGISMUNDO SCHIL-
LINGIO**, Artis Medicæ Doctore, Serenissimi Ele-
ctoris Saxoniae Medico, Castrî Königsteinensis & Sonnen-
steinensis, & Republicæ Pirnensis Physico
Ordinario,



VVITTEBERGÆ.

Impensis ANDREÆ LÖFLERI, Bibliopolæ Dresdensis,
Literis Hæred. MELCHIORIS OELSCHLEGELII
M. DC. LVIII.

Celeberrimæ Civitatis Dresdensis

Inclyto & Amplissimo Senatui,

**Dnn. CONSULIBUS,
JUDICIBUS, cæterisq; SE-
NATORIBUS,**

VIRIS

*Consultissimis, eruditione, prudentiâ, dexteritate,
multoq; rerum usu Clarissimis & præeximis, Mu-
sarum Fautoribus summis.*

**Dominis, Fautoribus & Amicis
honoratissimis**

*Hunc discursum non sine observantia studio
offert & consecrat*

**HEINRICUS SIGISMUNDUS
SCHILLINGIUS D.**

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



DISCURSUS PHY- SIOLOGICO-ANATO- MICUS.



Mnes artes, elogio Xenophontis bonorum fontes, quibus grata de Deo sunt sparsa vestigia, tantò præstantiores habendæ sunt, tantoq; majori studio & honore, dignandæ, quantò nobilius & excellentius pertractant objectum quantoq; majores & uberiores in communem vitam effundunt utilitates.

Verum enim verò Anatome una, quæ mirandam hominis fabricam docet, artium omnium habenda nobilissima, quæq; omnibus omnium studiis, honoribus & præconiis est dignissima. Proinde æquum est præ reliquis hanc artem excolere omniq; ingenii dexteritate absq; omni fastidio rimari, quæ structuram hominis mirandam proponit. Æquum, inquam, est, ut Homo *μικρόκοσμος*, (cum ex defecatisima majoris mundi vera quinta essentia in corpusculo hominis sit concentrata) qui ad Imaginem Dei est constructus, omnibus laudibus extollat sapientiam inæstimabilem Universi Opificis & Creatoris sapientissimi, qui ut à primis statim mundi exordiis consilio & sapientia ineffabili omnes homines per propagationem (cum singulares substantiæ in Individuo propter principium *Φθαρτικόν* conservari nequeant) subsistere voluit, ita & nos in utero materno mirabili modo formavit, & toto vitæ tempore clementissimè & paternè conservavit. Galenus,

vir divinus, Celeberrimorum Medicorum testimonio λόγῳ καὶ ἐμπειρίᾳ ἀπιδανέστατος, sapientiam admirandam & potentiam immensam, quam in elegantissima hominis structura adhibuit, non laudari satis pro merito posse dicit. Dum enim omnium partium suavissimam harmoniam, situm, figuram, numerum, magnitudinem, temperiem, substantiam, proprietatem, actionem & usum considerat, in hæc verba prorumpit, ejusmodi non laudibus, sed hymnis esse majora, ideoq; & hos libros de usu partium in laudem Conditoris se scripsisse testatur. Cumq; procul dubio nemo nostrum sit, quem non tantum hominis in utero miranda compago, auctio & perfectio, sed & utero exclusi conservatio, ad præsens usq; vitæ momentum in maximam rapiat admirationem, nemo tam elati animi, quem non deprimant originis suæ in loco abjectissimo exilia initia: Nemo, qui non divinitatis radios sibi à sanctissimo Deo insculptos agnoscat. Ideò τὸ γινῶσθαι σεαυτὸν contemlabimur & exactè rimabimur: Nec Spero, quemquam tempus malè collocaturum, si ex fabrica corporis, quæ nos ad nostri ipsius cognitionem ducit, mecum consideret tum originis suæ miseriam, tum perfectionis excellentiam, cum in ea sola vera solidaq; sapientia, sapientum omnium iudicio, & summa hominis beatitudo fundetur & consistat. Laudabile certè per se est & commendatione dignum, ut diligenter & circumspectè invigilemus officio nobis demandato, & scientiâ rerum variarum ingenium excolamus, quidni & naturæ operum simus industrii contemplatores, cognitionemq; structuræ partium sedulò indagemus, ne nobis eveniat, quod Thaleti, Philosopho Milesio, ex septem Græciæ Sapientibus Principi, à vetula fuit exprobratum. Is enim cum oculos ad contemplationem Astrorum erigeret, in foveam incidit: O stulte, exclamavit vetula, quæ supra te sunt, quæ verò infra te, imò intra te ipsum, ignoras. Magnifica verò vox non vetulâ, sed Philosopho digna! Disce prius structuram tui corporis; hæc dux certissima tibi erit ad tui ipsius cognitionem, cum ab humanitate nihil sit alienius, quàm reliqua omnia velle scire, seipsum autem ignorare. Generationis igitur

igitur nostræ primordia, si quis non voluptariis, sed terfis & ad cœlum conversis oculis intuetur, is cum pavore cristas eriget, nimiumq; excelsa spirabit: pensitet saltem animoq; lustret splendidum primæ nostræ habitationis domicilium, inter intestinum rectum & vesicam. Quare quid superbimus, qui inter stercus & urinam ex fragili & peritura materia nascimur, heu dementes, ab his initiis existimantes se ad superbiam genitos.

Beneficiorum Dei potius simus memores, utut initia apparent infirmissima, τὸ γινῶσθαι σεαυτὸν ulterius non vulgari quadam trutina, sed artificis staterâ ponderabimus. Hoc est illud τὸ γινῶσθαι σεαυτὸν, quod Socrates, si Platoni credimus, de Cœlo traxit, foribusq; Templi Delphici insculptum fuit. Referat autem, qui volet cum Eloquentiæ Parente Cicerone, ἡθικῶς ad modestiæ mediocritatisq; commendationem, non multum errabit: qui enim, neglectis virtutibus, vitia amplectitur, & mancipium existit suarum passionum & appetituum, ad omnem malitiam proclivis, ille τὸ γινῶσθαι σεαυτὸν perpendat, & videbit, non omne, quod fulget, aurum esse, nec bonum esse omne, quod bonitatis habet umbram. Sæpè sub melle fel est, & sub floribus spinæ latitant. Sicut enim fieri solet, ut palatum ab acri & falsâ destillatione corruptum & inquinatum, non gustat dulcedinem cibi; Quod enim dulce est, amarum videtur, & quod amarum, dulce est. Sic quorum animus pessimis vitiorum & inordinatorum affectuum humoribus conspurcatus est, virtutis semitam postponunt. At si in se descendant, animadvertunt, in virtute omnia bonorum genera tam honestatis, quam modestiæ perfectè inveniri: omnis enim virtus & gloria in integro est, additâ modestiæ famâ, docente Senecâ: Et virtutis fructum Sapiens in conscientia ponit, minus perfectus in gloria. Contentus enim conscientiæ præmio gloriam non requirit. Sic τὸ γινῶσθαι σεαυτὸν, saltem ἡθικῶς consideratum, temperat & moderatur partem concupiscibilem, ne in omne malum diffluat. Proinde perfecta victoria est, de semetipso triumphare: Qui enim semetipsum subjectum tenet, ut sensualitas Rationi, & Ratio

affectibus immoderatis non obediat, ille est Victor sui.
Quod ipsum Ovidius, Poëta ille insignis, nobis in aures in-
surrat, dum dicit:

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
mœnia, nec virtus altiùs ire potest.

Et Mantuanus:

Ardua res vicisse alios, victoria major
Est, animi fluctus composuisse suos.

Quod si jam τὸ γινώσκει σεαυτὸν propriè ad considerationem
corporis humani transferamus, Si mente piâ, oculisq; inten-
tis Infantuli recentis primordia consideres, propius ad tuam
ipsius cognitionem viam affectabis. Quando in legitimo con-
jugio, conceptione factâ, semen in uterum benè dispositum
tanquam in fœcundum naturæ agrum spargitur, spiritus animæ
instrumentum in feminis molem agere incipit, dissimiles ejus
partes primum secernit, tenuiores quidem, nobiliores & ma-
gis spirituosas intrò recondens, crassiores verò, frigidiores
& viscidiores extrinsecus obducens. Ab his frigidioribus vi-
scidioribusq; formationem inchoat; membranas enim effingit
extenditq; mirabili Dei providentiâ.

At dicas, cur tunicæ hæ fœtum obvolventes primæ
omnium efformantur? putabam partes principales primùm
omnium efformari. Respondeo: distinguendum est inter
partes, quarum aliæ sunt fœtus propriæ, quibus toto vitæ
tempore utitur, aliæ fœtui tantum, quamdiu in utero conti-
netur, inserviunt, cujusmodi sunt tegumenta & membranæ
fœtum involventes: his enim munimentis nobilior pars semi-
nis obvallatur, & interni spiritus sopiti delitescens conclu-
duntur, qui aliàs ob tenuitatem citò evanescerent. Adde,
quod nisi prius efformarentur hæ membranæ, tenellus Embryo
ejusq;

ejusq; principes partes uteri duritie læderentur. Vides primo saltem intuitu, quàm mirabili modo conformentur partes nostræ in utero materno. Membranarum enim harum tantus est usus, ut infans absq; harum ministerio superstes manere nequeat.

Harum una Chorion dicitur, quæ nervosa est validaq; omni ex parte fatum ambiens, unde *χαρίον ἢ χόριον*, quod circuli & coronæ instar fatum ambiat & circumscribat. Hæc mollioris pulvinaris instar venas omnes & arterias umbilicales fulcit & firmat. Altera tunica infantem immediatè involvens ob mollitiem & tenuitatem *ἀμνιὸς* appellatur, Charta virginea, indusium, urinæ & sudoris est receptaculum. Unde iterum mira Dei in conservatione fetus utero materno inclusi beneficentia conspicitur. Quanta enim commoditas inde emergit infanti? sedet fetus ibi ceu in sudatorio & innocenter innatat aquis, cùm aqua aliàs maximum in partu habeat usum, quia lævius & lubricum magis redditur uteri orificium, unde & partus facilitatur. Tegmina hæc mutuò sibi connata unum videntur constituere, quod *δευτερίον ἢ ὕστερον*, secunda sive secundina dicitur, quod in pariendo sit ultimum, aut quod secundum sit ab utero fatûs domicilium. His tunicis obvallata seminis interior & nobilior pars, promptius formationem aggreditur. Tunc temporis per totam seminis molem vagatur spiritus & cum *δυνάμει ὕληκῆ* famulatur immutatrix & confirmatrix: primum seminis materia alteratur & disponitur, mox eodem ferè momento partium omnium spermaticarum prima stamina rudioribus q. lineis simul & semel adumbrantur, cum eadem sit materia jam à calore disposita & alterata, idem artifex spiritus, quippè per totam seminis molem diffusus, eadem causa finalis, scilicet singularum partium usus. Tunc tres ampullas q. guttas pellucas, bullis similes, quas aqua pluvialis suo in flumen illapsu excitat, principum partium rudimenta, & mille filamenta vasorum & spermaticarum partium velut stamina cernere licet, & ita omnes partes simul inchoantur, (adsunt quippè principia activum & passivum nostræ constitutionis) non tamen simul appa-

appa-

apparent nec perficiuntur. Sententia hæc mea non est, sed Magnus ille Dictator noster, Hippocrates, divino afflatus numine, hoc primus omnium prodidit i. de diæt. & libr. de locis in homine. Delineantur omnes partes simul & augentur, nec prius aliæ aliis, nec posterius, sed majores natura priores apparent minoribus. Quoto autem die (quintone, an septimo) singula hæc figurari incipiant, solus, qui inæstimabili sapientia nos in utero formavit, novit Deus, ut & an omnes particulæ corporis humani simul fiant, soli Deo & naturæ cognitum esse, lubentissimè fatemur, cum primâ hominis formatione & structura nihil divinius, nihil admirabilius, nihil magis reconditum; Et si in aliis naturæ operibus inquirendis, certè hac in parte veritas in profundo delitescit, ut non immeritò Hippocrates naturam ubiq; sapientem vocârit. Si tamen summo Hippocrati & experientiæ fides non deroganda, cum res quæq; quò magis in obscuro delitescit, eò oculatius indaganda sit. Genitura septimo die habet, quæcunq; corpus habere debet. Quæ divini senis sententia hunc videtur habere sensum: Septimo die partium omnium spermaticarum prima apparent rudimenta (quæ si in aquam conjecta attentius inspexeris, facile deprehendes) His itaq; jactis partium spermaticarum fundamentis, singulæ suo quæq; ordine perficiuntur. Principales, tanquam magis necessaria, reliquis nutrimentum, vim vivificam & sensum imperientes, omnium primæ, ut tria principia & iis inservientia, venæ, arteriæ, nervi. Duriores verò & solidiores partes simul quidem figurantur, sed non simul perfectionem acquirunt. Nam ex omnibus alia celerius, alia tardius perficiuntur, ut de singulis, specialius demonstrari posset.

Causa autem celerioris formationis & perfectionis ad destinatum a natura usum, i. e. finalis causæ necessitatem referenda: In omnium autem corporis humani partium delineatione perpetuò laborat vis illa formatrix, neq; quiescit unquam, donec absoluta fuerit earundem discretio: ita, ut iterum dictatore nostro asserente, femina conformationem primam 45. diebus consequatur, masculus diebus 30. quæ
prima

prima est fetus ex feminis corpulentia conformatio. Ut autem tota res clarius evadat, cum Hippocrate universam hominis structuram in 4. tempora distribuimus. Primo tempore feminis adhuc apparet species & circumscribitur sex diebus, quam compagem γοιήν, genituram appellant. Altero tempore Cor, Cerebrum & Jecur delineantur, & substantia conceptionis carnea jam, non seminalis amplius apparet, & dicitur tunc κύημα, sive fetus: Tertio: illa tria exquisitè apparent principia & reliqua membra delineantur & tunc dicitur εμβρυον. Ultimo tandem tempore brachia & crura distinctè absoluta cernuntur, quo tempore παιδείον dicitur cum & moveatur & animal sit perfectum. Quæ 4. tempora & eorum articuli duobus notis versibus continentur:

**Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine trini;
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.**

Ita ut 45. diebus absolvatur conceptio, universa, & tunc conformatus est integrè puellus, quo tempore triplicato ad justam magnitudinem homo in lucem editur. Nónne hæc digito monstrant τὸ γνῶσι σεαυτὸν? nónne hæc consideratio ad humilitatem potius, quàm ad superbiam & elationem ducit? Et sanè nisi nos in figuratione, auctione & perfectione sustentasset divina bonitas à primo vitæ halitu ad tempus partûs usq; imò ad hoc usq; momentum, quàm citò & variis modis periissemus. Inter plurima tantùm unum adducam: Ut enim taceam, quod ventriculus otietur infantuli suis sepimentis inclusi, operatur enim loco ejus Chorion: Ut taceam, quod vasa mesenterii non exugant & alliciant laudabilem Cremorem lacteum, vasûm umbilicalibus operantibus, & ex utero materno nutrimentum & spiritum advehentibus: Ut taceam, quod Ureteres non urinam deferant in vesicam, cum membrana αμνιῶν in seipsa colligat lotium fetus: Ut taceam asperam arteriam, quæ etiam otietur &c. Ex quibus omnibus percipimus, quàm mirabiliter Deus infantem utero inclusum con-

B

servet,

servet; membris prædictis suam operationem non exercen-
tibus. Quodnam autem illud est unum, quod admirationem
omnem superat? Illud, quod non respirat fatus in utero.
Quomodo igitur vivit absq; respiratione? imò Galenus libr.
de locis affectus docet: Si Cor respiratione privetur homi-
nem illicò interire, necesse est. Verum enim verò, fœtus
adhuc domicilio naturæ inclusus Solâ transpiratione con-
tensus est, quod ita demonstro. Sicut enim spiritum per os
non ducit, sic neq; thoracis & pulmonis operâ utitur, quin
etiam solius Cordis gratia instituitur respiratio, ut scilicet aëre
q. flabello quodam refrigeretur, & spirituosa substantia,
quæ in sinistro cordis ventriculo spirituum vitalium & caloris
influentis fonte fervidissimo, residet, in vigore conservetur.
At nulla fit vitalium spirituum in fœtu generatio; transporta-
tur enim per arterias umbilicales spiritus, sicut & nutrimen-
tum per venam & arteriam eandem. Ergò nec flabellatione
opus est, ut per respirationem aër elaboretur, deferaturq; ad
confectionem spirituum vitalium & caloris Cordis refectio-
nem & ventilationem. Cum igitur respiratione opus non sit,
deficiente causa finali, quæ reliquas omnes movet, nihil un-
quam aggreditur sapiens natura, vivida Deï vis. *Ἡ φύσις
ἔδεν ποτε εἰργον.* Non ergò respirat fœtus, quia non debet
nec potest: nam materno conclusus utero, membranis obval-
latus, si ore aperto spiritum duceret, cum aëre aquas, quibus
innatat, & in iis absq; noxa, ut in sudatorio insidet, simul
traheret, & primo haustu haud dubiè ita suffocaretur, ut qui
aquâ immerfi, suffocantur. At conservatur tamen infans in
utero materno inclusus non respirans, sed tantum transpi-
rans. Annè originis nostræ hæc primordia considerantes, mi-
seriam nostram agnoscere & stimulos libidinum & protervita-
tis remove debebamus? *μὲνησο ἀνθρώπων ὧν,* discas te
humana forte creatum; quod iis dictum, qui nimium nausea-
bundi aspernantur τὸ γινῶσι σαυτὸν, & sui ipsius corporis co-
gnoscendi nullo tanguntur desiderio: qui superbia & elatione
animi, cui semper est conjuncta temeritas, tanquam illece-
bris et laqueis impliciti protrahuntur in perniciem. **Qui enim**
con-

contemplatur totum corpus partiumq; diversi generis structu-
 ram variam multiplicemq; , earundem continuatione unum
 fieri, qui observat mirabilem partium *συμπάθειαν*, conspi-
 rationem, mutua officia, quæ nullo agitatae ambitionis æstu
 mutuas tradunt operas, & amicè conspirant. (Talis enim
 contemplatio est, quale sensûs ipsius obsequium, talis sen-
 sus, qualis etiam spiritus, spiritus talis, qualis & sanguis;
 Sanguis enim spiritui servit, Spiritus sensibus, sensus deniq;
 rationi; Item objecta proportionata movent sensus, sensus
 movent affectus, affectus movent & agitant humores, humo-
 res agitati & commoti impellunt vel ad gaudium, iram, amo-
 rem &c. Ecce suavissimam omnium harmoniam) Hæc si quis
 animo suo perpendat, procul dubio perturbationum tumultus,
 quorum procellis & fluctibus miserè sæpè jactatur homo,
 placabit, & varia *παθήματα*, quorum maxima vis est, quibus
 etiam immorigeri sæpius tanquam furiis exagitantur, compe-
 scet ac sedabit, animiq; sui mores ita moderabitur, actionesq;
 conformabit, ut omnia consentiant, & inferiora superiori-
 bus obsequantur? Sed quid porrò docet *τὸ γινῶσθαι σεαυτὸν*?
 Qui singularum partium usum, figuram, situm, temperiem,
 mirabile artificium & externorum saltem sensuum organa ac-
 curatè lustrarit, is quomodo singulis debeat uti, facili nego-
 tio agnoscat. Venter pro magnitudine corporis angustior,
 factus, admonebit, hominem non gulæ natum & insaturabili
 abdomini mancipatum esse, sed inde cognoscat membra non
 esse oneranda nimio cibo & potu, non protrahenda pocula in
 multam noctem, cum cruditas præsentissima subsequatur,
 calor nativus dissipetur, languescat virtus ventriculi, san-
 guinea massa corrumpatur, loco alimenti laudabilioris & re-
 fectorii corpus vitiosis repleatur humoribus, viam tractu tem-
 poris ad partes nobiliores affectantibus, ita conturbentur &
 dissipentur spiritus & calor nativus *δημιουργός* & opifex omnium
 in corpore operationum, quorum etiam ope anima nobilissi-
 ma suas operationes exercet atq; obit, & ita totum composi-
 tum patiatur maximeq; enervetur. Succum enim illi vitiosum &
 putridum longâ dierum serie audivi, non solum morbos sævisi-

mos & mirè contumaces, excitant, verùm etiam annorum
Enneaticorum & Climactericorum sunt causa ferè primaria,
hinc senectus plerorumq; ita morbosa. In quam contempla-
tionem te porrò ducit τὸ γινῶσι σεαυτὸν? Figuram tibi Deus de-
dit erectam.

Prona enim quum spectant animalia cætera
terram,

Os homini sublime dedit, cælumq; tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus,

ut habet Ovidius lib. i. Metam.

Ecce τὸ γινῶσι σεαυτὸν ut originis tuæ memor, non
humī brutorum more reptes, sed sublimia contempleris,
animus consideratione infirmitatis & originis non prorsus in
terram submittendus, sed erigendus & ad Deum Architectum
revocandus. Hæc demum solida & sapientia & vera humanæ
præstantiæ & excellentiæ contemplatio. Nazianzenus ejus-
modi verba emphatica profert in oratione de Dogmate & statu
Episcopor. fol. 144. in Græco textu: Si teipsum non nosti,
quisquis es, quo tandem modo, qui & quantum sit Deus, te
scire arbitraris.

Figura cælum versus erecta calcanei projectura stabilita
articulo femoris cum ischio, ischii cum spina, spinæ cum cal-
varia connexu obfirmata soli homini concessa est: Et Gal.
causam explicat, cur solus homo rectus sit, non ut tantum
collum reflectamus ad cælum, ut οὐρενοσκοπῶν piscis, pro-
pterea cæli speculator dictus, vel ut grues, quæ reflexo collo
cælum intuentur, sed propterea Figura recta homini tributa
est, ut mente & intellectu sit totius universi contemplator, non
cum bestiis globo terrestri affixus, ad turpes voluptates se
abjiciat, cum in vita tristius nihil à natura datum sit homini,
quàm voluptatis venenum, quo infecta semel anima, rarò ad
virtutem se inclinat, sed semper pronā in omnia præcipita-
tur vitia: sed πολιτεύματα nostri memores, sublatis in cæ-
liam

lum oculis atq; mentis luminibus in hac cæcitate & miseria, divina inquiramus, cum ex mente divina delibatos habeamus animos. Intueatur quis faciem hominis, & si quis oculatissimus sit, nonnè ibi divinæ majestatis Character confertim elucet? bruta enim animantia stupefacta Hominem Imperatorem suum reverentur & metuunt: Ex facie hominis, tanquam animi sermone, internos animi affectus varios & diversos corporis morbos & sæpius abstrusos cognoscimus, cum in supercilis superbia suam habeat sedem, in mento gravitas, in genis pudor eluceat, & in summa Irâ excandescit facies, pallescit verò metu, erubescit verecundia, gaudio ferenatur, & Tristitiâ obscuratur.

Hoc insuper in humana facie singulariter mirabile, & mirabiliter singulare est, quod cum vix decem constet membris, nullas in tot hominum millibus in discretas effigies cernere contingit. Quæ obsecro ars hoc præstiterit aut polliceri sibi saltem ausit? Sic nosce teipsum! Ut enim oculos in supremo loco speculatorum instar collocatos natura voluit, ut sublimia contempleris, sic aures tibi duas easq; patulas construxit, ut discas plus duplo audiendum: quam loquendum. *Γνώθι σεαυτόν!* Linguam, quâ Deo benedicimus, & quâ quoq; vita improbâ maledicunt Impii, unicam dedit, musculis decem & vinculo validissimo ceu freno alligatam, ore ac dentibus veluti operculis clausam, ut prius teipsum noscas, an hoc vel illud proferendum, atq; prius mens dijudicet, quam proferat, verbumq; prius transeat per limam, quàm per linguam.

Facultatum animæ sedes si inspicias, rationalem in summo loco, Cerebro quippè calvaria undiq; circumsepto locatam, irascibilem in Corde, concupiscibilem in Epate reperies, ut sese eò melius exerat *τὸ γνῶθι σεαυτόν*, irascibilem scilicet & concupiscibilem superiori rationali tanquam Reginae & principi debere famulari. Proinde quàm præclarum sit sui ipsius habere notitiam, ex jam dictis abundè constat, sed quibus vel Ethnici fidem dant. Quod si Illi *τὸ γνῶθι σεαυτόν* ita excoluerint, ut vel ob unicum virtutis studium & corporis

structuram concinnam id cognoscerent, quid nos, qui spiritu Dei ducimur, fervore pietatis & devotionis erga sanctissimum Deum non perficeremus.

Deus *Τεῖσι μὲν* non nisi per effectus cognosci potest. Ne ergò tantum in contemplatione primordii nostri & exilis initii, de infirmitate & miseria nostra luculenter nos erudiente hæreamus, sed ad perfectionem nostri convertamus oculos, quis non magis mirabitur *τὸ γνῶθι σεαυτόν* hominis mirandam structuram, si Opificii hujus Autorem consideres.

Phidiæ Minervam, Apellis Venerem, Polycleti regulam mirabatur antiquitas, eisq; summos decernebat honores. At quis non suspiciat Architectum structuræ nostræ; Hinc veterum quidam humani corporis fabricam Dei librum salutarunt. In omnibus sanè apparet Numen, teste Heraclito, qui cum in Casa farriaria sederet, & qui eum alloqui cupiebant, intrare non auderent, intrate, inquit; nam hîc etiam Dei sunt. Verùm enim verò, anima humana semetipsum explorans, ardenti desiderio cælum penetrandi fursum rapta Creatorem suum unicè veluti *ἀναυνήσει* quadam admiratur, meditando invisibilem, Genitorem cognoscit, cognoscendo mirificè delectatur, delectando adhæret, adhærendo possidet, possidendo fruitur, fruendo unitur, uniendoque in Dei naturam transformatur. Hinc sanctus Augustinus talia suspiria emphatica profert: Largire mihi, sanctissime Jesu, ut discam Nosse Te, & nosse me. Jovis, ajunt Poëtæ, omnia sunt plena. Sed in fabrica structuræ partium quid est augustius? Lucet enim in ea admirabilis Dei potentia, incredibilis ejus sapientia & bonitas omnibus elogiis nunquam satis prædicanda. Potentiam Dei quis non ex eo judicet, quod ex tantillo semine & guttulis aliquot sanguinis tam varias partes effinxerit. Quis enim nisi potentia Dei dirigit *δύαμιν γεννητικὴν*, ut inde efformetur perfectus homo: in quo reperiuntur ossa ducenta 56. Excipiuntur ossa sesamoides, quæ per *σύνφυσιν*, *συνάρθρωσιν* & *διάρθρωσιν* ita concinnè articulantur, ut motus vel evidentior vel obscurior pro usu ani-

animantis præstetur. Cartilagine plures, ligamenta pluri-
 ma, membranas penè innumeras, arteriarum tubos, vena-
 rum multiplices propagines ex trunco venæ portæ & cavæ
 in omnes totius etiam minutissimas particulas pro ipsarum
 nutritione diffusarum, nervorum triginta paria & octo, si
 processum mammillarem odoratus gratia constructum addas,
 musculos ferè quadringentos, viscera deniq; omnia. In-
 credibilis verò sapientia, ut & bonitas infinita, in mirabili
 totius & tam dissimilariarum partium artificio luculenter mani-
 festatur. Considera saltem tacitâ mentis indagine superfi-
 ciariam trium ventrium contemplationem partesq; singulas
 à capite ad calcem, quam clari divinæ bonitatis radii te
 circumfulgebunt, in quantam imperscrutabilis sapientiæ
 Dei τὸ παντοκράτορος admirationem te abripiet. Ingre-
 diatur tecum ἄθεος, quis sit, licet, sacram Palladis arcem
 sensuum ἀιδνηθείοις stipatam, Cerebrum hominis intelli-
 go & Regiæ illius domus columnas & concamerata involu-
 cra, atria, sinus 4. speculum lucidum, plexus arteriolarum
 labyrinthos χορδοειδῆς dictos venarum mirabiles ductus,
 nervorum admirandam scaturiginem & fecunditatem, cu-
 jus membri divinissimi à Platone dicti tanta dignitas & no-
 bilitas, ut ideò in homine propter rationis lumen imago
 Dei inesse dicatur. Cerebrum in eminentiori loco pro tri-
 bunalis sedens singulis ἀιδνηθείοις sensuum officia distribuit,
 cum non modò sensuum sedes, sed & motuum προαιρητικῶν
 sit artifex. Cerebrum enim imperat, nervus imperium de-
 fert, musculus obsequitur. Et cum homo ad intelligendum
 natus sit, intelligentis facultatis sedes est Cerebrum, offi-
 cina Judicii & memoriæ. Ei enim omnia famulantur, &
 quod in mundo est cælum, id in homine Cerebrum est ra-
 tionis domicilium. Si ad oculorum fulgorem aciem mentis
 intendas, crysalli fulgentis nitorem, humorum aquei &
 vitrei puritatem, vitri Veneti splendorem, tunicarum con-
 textum, musculorum in oculis versandis miram volubilita-
 tem superant. Et ut alia præteream, pensita tecum auris in-
 ternæ

terna

ternæ artificium, labyrinthis, cochleis, tympano, tribus
officulis, stapede, incude & malleolo, musculis exiguis,
nervo auditorio, ductu cartilagineo tam affabrè constru-
ctum, si prius in earundem partium contemplatione memo-
ria fragilitatis & miseræ nostræ nos humi prostravit, nonne
jam præstantiæ nostræ in iisdem membris consideratio ad
Dei potentiam & sapientiam nos ducent & erigent? Nec
hoc silentio obvolvendum, quod obscurari non potest, cum
instar Solis meridiani lucem de se spargat. Cor, Regis in-
star, omnes totius corporis partes Nectare suo vivifico illu-
strat. Hic contemplare Cordis sinus duos, auriculas toti-
dem, quatuor insignia vasa, fontes humanæ naturæ & flu-
mina, quibus totum corpus irrigatur vitaliq; spiritu & calo-
re vivifico reficitur. Hepar non minoris momenti ad vi-
tam, quam Cerebrum & Cor, humoris gratiosi & laudabi-
lis sanguinis fons, qui propriis sumtibus universi corporis
familiam tanquam munificentissimus princeps alit: Inspi-
ce mirabiles ejus plexus & rivos, venarum ἀναστομώσεις &
ductus. Ignobilior autem plebs, Lien, Renes, vesicula
fellis, intestina &c. lege servitutis depurando sanguineam
massam expediunt, Regiam domum expurgando totamq; il-
lucem sequestrando.

Quæ in thorace continentur Cordi subserviunt.
Mammæ juxta Cor positæ ad Φυλοσοργίαν constructæ, ut
unà cum lactæ affectum sincerum lactantibus imprimant,
atq; ita quæ in Cerebro, Corde & hepate, continentur,
tam sibi mutuas tradunt operas, ut si eorum quippiam à
munere sibi commisso deficiat, tota statim corruat & la-
bascat œconomia: Ecce si ita partium animalium, vita-
lium, & naturalium structuram æstimemus, nonne ra-
diorum divinitatis in nobis sparsorum memores, perfe-
ctionem gratiarum laudis, amoris & veritatis deprædi-
cabitur?

Exclamemus quin potius cum Jobo, Tibi, æterne
Deus, sit laus in secula, qui impulsu Spiritus Tui mihi ma-
gnalia

gnalia tua manifestasti, qui me lactis in morem fudisti & seu ritu coagulasti, qui me argillæ modo fecisti, qui me tuis manibus elaborasti, ac simul undiq; profecisti, cute & carne me induisti, ossibus & nervis compegisti, vita ac beneficiis affecisti, idemq; tua divina cura mihi adhuc spiritum conservas. Imò cum Regio Pfsalte nostram conjungemus *ωρεσφώνησιν*: O Architectum sapientem! O opificem admirabilem! Confitebor tibi, Domine, quia sapientiæ tuæ magnitudinem declarasti in corporis mei fabricâ, singulis partibus tam benè providisti, ut quælibet suum peculiarem habeat usum, omnes verò tantâ conspiratione inter se aptantur, ut opera Dei sanctissimi in structura corporis nostri omnem admirationem superent. Nos si accuratâ mentis indagine pro rei exigentia τὸ γινῶσι σεαυτὸν excutimus, multò magis ad cælum evehemus oculos. Et licet miseria nostra nos docuerit, corpus Adami ex rudi limo terræ esse fabrefactum & constructum, ut & nos omnes ex fragili materia, tamen Archiater *τρισμέγιστος* Deus gratiæ suæ lumine nos afflans obryzo auro & nobilissimis gemmis illud præcellentius effecit. Homo itaq; operum Dei est complementum, syntagma consummatissimum, simulacrum Conditoris expressissimum, corporeorum & incorporeorum Horizon, animal plenum & rationis & consilii, rerum omnium mensura, augustum Dei templum, Creaturarum omnium centrum reale & essentielle, Charagma Dei in decretis Canonicis. Porro salutatur homo à Sinesio rerum humanarum & divinarum testis. Mercurius Trismegistus scripsit, hominem transire in naturam Dei, & esse Deum mortalem. Cumq; tres mundi esse dicantur, intellectualis, cælestis & sublunaris, egregiè Philosophi hominem quartum mundum salutant, in quo simulacra sint reliquorum trium. Et cum per vitæ nostræ spatium tot librorum evolvamus volumina, tot terrarum marisq; tractus, tot cælorum climata pervagemur, Ecce in nobis ipsis tanquam in tabella ac compendiolo magnus ille Dei codex, mundus, tribus foliis,

C

cælo

cælo, mari & terrâ distinctus, mirâ brevitæ & claritate explicatus prostat; Hinc meritò omnes uno consensu Hominem *μικροκοσμον* appellarunt, cum non tantum hominis ratio major sit omni mundo, sed & in animo & corpore hominis omnium, quæ cæli & terræ amplissimo sinu & ambitu continentur, simulacra insint: quoniam, quicquid ex uspiam in immenso hoc orbe perfectionis & decoris, id in uno homine ita eminet, ut majorem mundum rectius dixeris, si perfectionem, non molem inspexeris, nec unquam inter mixta quicquam potest reperiri corpore humano nobilius. Nam magis accedit pro Medicorum sententia ad ponderis æqualitatem, est organorum mirabili varietate pulcherrimè efformatum, dum erectus corporis status dignitatem ejus indicat stupendam: omnem enim cæli ornatum natura sapientissima rerum Architectrix, humano corpori inscripsit. Ex hac consideratione qui non melior redeat, nã is mihi perfectionem hominis nunquam agnovisse videtur. Proinde cognoscite vosmetipsos in structura vestri corporis, cum sanctissimis viris vos cinerem & pulverem esse cogitantes, sub potentissima manu DEI sanctissimi humiliamini, homines cum sitis, non humana & terrea, sed immortalia sapite & facite. Nisi enim homo sit in spiritu elevatus & ab omnibus creaturis liberatus ac Deo totus unitus, quicquid scit, quicquid etiam habet, non est magni ponderis. Et sanè, nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus non poterit liberè intendere divinis, quia in sensibilibus rebus statur, & parum de perfecta mortificatione habetur. Nescio quid sit, quo spiritu ducamur, & quid pratendamus, qui spirituales dici videmur, quod tantum laborem & sollicitudinem pro transitoriis rebus agimus & de interioribus nostris rarò, recollectis sensibus cogitamus. Discant proinde nonnulli à Cerebro discretionem & prudentiam, à Corde fortitudinem & dexteritatem, ab Hepate munificentiam & Comitatem: Dei potentiam porrò ex hominis formatione, sapientiam ex structura, bonitatem

tatem


tatem ex usu partium & actionibus agnoscant, agnitam celebrent, Templum Sancti Spiritus impollutum & sanctum conservent, membra sua Justitiæ Instrumenta præbeant, piè & temperatè vivant, affectibus vitiosis explosis, donec tandem ex perverso & immundo seculo tristiq; exilio ad cœlestem illam patriam regressi, participes nos faciat Sacro Sancta Trinitas lætitiæ sempiternæ, gloriæ & beatitudinis in æternum duraturæ, ubi hauriemus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, ob dulcissimam Dei consuetudinem, Deusq; sanctissimus erit omnia in omnibus beatis & glorificatis.

Ἀρχιτέρω πλεῖθι δόξα κλειότε
Θεῷ.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Accidit, quia deo xristo



ⓔ

Physiol. 58.

